

IOANNES BERTRAM MOGVNTINENSIS PROFESSOR.



Ioannes ille Nuenburgi natus & educatus fuit. Ibi præceptorem habuit Georgium Molitorem virum doctissimum, à quo in humanioribus literis & artibus dicendi utcunq; institutus fuit. Inde sese Erfurdiam contulit, ut in ea Academia philosophie atq; maioribus Facultatibus operam daret. Hinc factum ut ob felicitatem ingenij breui omnes eius loci philosophos & Theologos superaret. Cum autem eo tempore Dietherus ab Eysenburg Archiepiscopus Moguntinensis circa annum Domini 1470 Moguntiæ Academiam fundasset, atq; eam uiris doctissimis exornare statuisset, etiam Ioannes sese eō contulit, atq; in ordinarium professorem Theologiæ receptus fuit. In ea functione longo tempore magno fructu auditorum perseuerauit. Scripsit is in libros aliquot Bibliorū, præterea de Missa, atq; uarias quæstiones & collationes, floruit circa annum Christi 1490. Trit.